Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio [illegible] Cracovien. Salutem et apostolicam benedictionem.

Dignum arbitramur et congruum ut illis Sedes reddat Sedes apostolica gratiosam quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur. Dudum siquidem omnes Canonicatus et Prebendas ceteraque ecclesiastica beneficia ex tunc usque ad voluntatem nostram beneplacitum in Januarii Februarii Aprilis Maii Julii Augusti Octobris et Novembris mensibus extra Romanam Curiam alias quam per resignationem vacatura collationi et dispositioni nostre reservavimus decernentes ex tunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque postmodum Canonicatus et Prebenda ecclesie Cracovien. quos quondam cognominatus Szwykowski (?) ipsius ecclesie Canonicus dum viveret obtinebat per obitum dicti cognominati Szwykowski qui beneplacito predicto adhuc durante extra dictam Curiam in [illegible] diem clausit extremum vacaverint et vacent ad presens nullusque de illis hac vice disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis. Nos volentes dilectum filium Franciscum [illegible] Clericum Cracovien. dioc. asserentem se de nobili genere procreatum ac seminarium in Collegio Nazzareno nuncupato Urbis et ab ordine [illegible] a Rectore dicti Collegii commendatum [illegible] et Theologie studuisse apud nos de nobilitate generis vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso ipsumque Franciscum a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis si quibus quomodolibet innodatus existit ad effectum presentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus si per diligentem examinationem prefatum Franciscum ad hoc idoneum esse reppereris super quo tuam conscientiam oneramus Canonicatum et Prebendam predictos quorum et illis forsan annexorum fructus redditus et proventus viginti quatuor ducatorum auri de camera secundum communem extimationem valorem annuum ut dictus Franciscus etiam asserit non excedunt sive premisso sive alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona seu per liberam resignationem dicti cognominati Szwykowski vel cuiusvis alterius de illis in dicta Curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factam aut assecutionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati vacent etiamsi tanto tempore vacaverint quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem predictam legitime devoluta ac Canonicatus et Prebenda predicti dispositioni apostolice specialiter vel alias generaliter reservati existant et super eis inter aliquos lis cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa dummodo eorum dispositio ad nos hac vice pertineat cum annexis huiusmodi ac plenitudine iuris canonici ac omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Francisco auctoritate nostra conferas et assignes inducens per te vel alium seu alios eundem Franciscum vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dictorum Canonicatus et Prebende ac annexorum iuriumque et pertinentiarum predictorum et defendens inductum amoto exinde quolibet detentore ac faciens Franciscum vel pro eo procuratorem predictum ad Prebendam huiusmodi in dicta ecclesia in Canonicum recipi et in fratrem stallo sibi in choro ac loco in capitulo ipsius ecclesie cum dicti iuris plenitudine assignatis sibique de Canonicatus et Prebende predictorum ac annexorum eorundem fructibus redditibus proventibus iuribus et obventionibus universis integre responderi contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo non obstantibus felicis recordationis Bonifatii PP. VIII predecessoris nostri et aliis apostolicis constitutionibus dictaque ecclesie etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliqui apostolica vel quavis alia auctoritate in dicta ecclesia in Canonicos sint recepti vel ut recipiantur insistant seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus et Prebendis dicte ecclesie specialiter vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis aut legatorum eius litteras impetraverint etiamsi per eas ad inhibitionem reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum quibus omnibus eundem Franciscum in assecutione dictorum Canonicatus et Prebende volumus anteferri sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Canonicatuum et Prebendarum vel beneficiorum aliorum preiudicium generari. Seu si venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Cracovien. vel quibusvis aliis communiter aut divisim ab eadem sit Sede indultum quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur et ad id compelli aut quod interdici suspendi vel excommunicari non possint quodque de Canonicatibus et Prebendis dicte ecclesie vel aliis beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem provisionem presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Seu si dictus Franciscus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus dicte ecclesie solitum iuramentum dummodo in absentia sua per procuratorem idoneum et cum ad illam accesserit corporaliter illud prestet. Volumus autem quod dictus Franciscus infra duos menses a die habite per eum dictorum Canonicatus et Prebende possessionis seu quo per eum steterit quominus illos assequatur computandos ad personalem residentiam apud dictam ecclesiam ratione dictorum Canonicatus et Prebende se conferre omnino teneatur alioquin Canonicatus et Prebenda predicti vacent eo ipso ac preterea nisi post triennalem residentiam Canonicatum et Prebendam predictos ad favorem alicuius etiam ex causa permutationis resignare aut in manibus Ordinarii loci libere dimittere aut iuri sibi in illis vel ad illos quomodolibet competenti cedere non possit sub pena nullitatis resignationis dimissionis aut cessionis huiusmodi ac vacationis Canonicatus et Prebende eo ipso ita ut de illis per Sedem apostolicam tantum disponi possit. Decernentes tamquam [illegible] voluntatem nostram huiusmodi ex nunc irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus vel in posterum contigerit attentari.

Datum Rome apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominice Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Secundo Pridie Kal. [illegible] Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Decemb.

P. Massolus

N. Calisti

Exped. Pridie Idus Xmbris Anno XIII

A. Pieroni (?)

Aloisius [illegible]

J. Caraffa Cap.

Pro Cappella S. Stanislai solvit 82 —

Franciscus [illegible]

C. Barbozini (?)

Reg. Rotatanna [illegible] 10

Visa: B4.R

Orlandus

Alisius Montorius

[illegible]
Q. Martinez [illegible] Cardamaro

Cajetanus